



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

✓8

MATTHÆI PRIORIS  
A L M Æ.  
LIBRI TRES.  
LATINO VERSU DONATI

OPERA<sup>A</sup> & STUDIO

THOMÆ MARTIN, A. B.

Viginti Annorum PRESBYTERI,  
SCHOLÆ VERLUCIANÆ MAGISTRI,  
ET

Parochiæ de KINGSTON DEVERELL, in agro  
WILTONIENSI Curam gerentis.

Hæc, si displicui, fuerint solatia nobis :  
Hæc fuerint nobis præmia si placui.

MARTIAL, Lib. 2. Epig. 91.



---

S A R U M :

T Y P I S E. E A S T O N :

Prostant venales apud HAWES, CLARKE & COLLINS, Londini ;  
PRINCE, Oxoniæ, & THORN, Exoniæ ;  
LEAKE, FREDERIC & TAYLOR, Bathoniæ.

M. DCC. LXIII.

E R R A T A.

- P**AGE 3. pro fueftis, lege fuêftis.  
Pag. 16. pro vincinâ, vicinâ.  
Pag. 21. pro peritùs, peritus.  
Pag. 22. pro quoque, quôque.  
Pag. 40. pro Otia quam, Otia quum.  
Page 51. pro conconquit, concoquit.



VIRO ADMODUM HONORABILI

GULIELMO PITT

A R M I G E R O,

Nuper ab Epistolis REGIIS CONSILIISQUE  
Secretioribus,

T H O. M A R T I N, S. P. D.


**S**I qua Tibi fuerint inter res otia, quales  
O Decus, O Patriæ Spes Columenque geris;  
Percurras animo, precor, hæc mea scripta benigno,  
Nec me aures pigeat detinuisse tuas.  
Nequaquam Externus, Tibi Conterraneus adsum;  
Natus qua vitreas volvit Avonus aquas:  
Mille etenim passus dirimunt nova mænia Sarum,  
Quæque ibi sub Castrum Rura colonus arat;  
Hinc te si qua Soli Natalis gratia tangit  
Præsidium optatum ne mihi, quæso, neges.  
Carmine quam Patrio quondam Prior edidit Almam,  
Carmine Romano nunc Tibi Musa dedit:  
Nam sibi quem potius Patronum adscisceret Alma,  
Quam, varias dotes cui dedit Alma suas?  
Quæ tamen est reliquis totos infusa per artus  
Alma, in Te solo Corque Caputque tenet.

Hinc

Hinc Cor quod Patriæ tanto incendatur Amore,  
 Hincque Caput, Patriam quod tueatur, habes;  
 Hinc Galli oceano pariter terrâque fugati,  
 Hincque reportârunt tanta Trophæa Duces.  
 Hinc etiam Hispanas solers mox detegis artes,  
 Dum furtim infidi bella futura parant:  
 Providus hinc Regi prima arma capescere suades,  
 Prima infensa Tibi quæ vetat Aula capi:  
 Non tamen hîc Patriæ Tibi cura remittitur omnis,  
 Quam potes, haud cessas huic dare promptus opem;  
 Et quanquam Imperii Clavum non flectis, ut ante;  
 Quæ Patriæ profint, Fidus, ut ante, mones.  
 Macte Heros, Patriæ nec Amor Te deserat unquam,  
 Nec pudeat Musæ Te meminisse; Vale.

E Scholâ Verlucianâ  
 Cal. Martii 1762.

*MAT.*



*MATTHEI PRIORIS*

A L M Æ.

LIBRI TRES.

---

LIBER PRIMUS.



FERTUR Matthæus quondam occurriffe  
Richardo,

Tempore quo non est dicere, quovè loco:  
Qui inter se abstrufis de rebus multa loquentes;

Nunc prò, nunc contrà fufinuere vices.

Dente Manuscriptum Sorex femiedit iniquo:

Dira Fames! quam nos illachrymamus adhuc:

Oh! utinam ftomachus non rurfus concoquat unquam

Tam flendæ horrores tam miseræque dapis.

Sed tamen ad nosmet veniet minus inde doloris,

Si quod de tantâ clade fuperfit adhuc,  
Curâ delatum, confervatumque labore,

B

Chare

Chare Jacobe, tuo sæcla futura legent.

Exorditur ita

\* \* \* \* \* Hic Matthæus talia profert,

Alma inter vates, Scriptores Mensque solutos,  
 Sicut Aristotelis penna monere solet,  
 Per Corpus totum ceu excelsum five pusillum,  
 Tota bonâ in toto est una reperta fide.  
 Improvisa tamen rursus est quoque tota per omnes  
 Venas & Nervos, Articulosque simul:  
 Huc illuc præceps currit, perque omnia regnat;  
 Quo spectrum Hamletti more volare vides.  
 Hoc Systema, prout nostras pervenit ad aures,  
 Firmiter Oxonii, Chare Richarde, tenent.  
 Hoc Grantæ Pubes non vult agnoscere, *Dixit*  
*Ipsæ* etenim nihili, noscitis ut ipse, facit.  
 Dicunt, (namque solent istum contemnere Græcum  
 Antiquum, liceat si mihi vera loqui)  
 Ternas esse Fabas vesicâ dogmata glaucâ  
 Glaucaş, cum attulerint omnia verba simul.

Alma, prout pugnant ipsi, multumque laborant,  
 Ut folio in Cerebri culmine celsa sedet.  
 De quâ consilii sublimis fede supremam  
 In sensus mentem mittere quosque solet.  
 Nervos porro duos visus trans lumina, ut aiunt,  
 Ipsa hæc conspecili more ligare solet;  
 Quorum Animæ auxilio mox Almæ fida reportant,  
 Volvunt quum se orbes, quum statione manent.

Quam



Quàm prompti in Campo dant vulnera, quàmque  
Theatro :

Qui Dux fit cordi, quæque Puella magis,  
Inque Aulâ ut veteres nolunt agnoscere Amicos,  
Qui jam cesserunt de statione suâ.

His absque auxiliis ut sim magè serius, aiunt,  
Hujus virtutem prævaluïsse nihil :  
Huic oculi possent conjuravisse ruinam,  
Nullaque quæ struerent copia scire foret,  
Judice me, stultum foret hoc & prorsus iniquum,  
Luce his concessâ, cæca quod ipsa foret.

Naturam pariter censent duxisse sagacem,  
Per Nasumque cavos continuâsse duos :  
Absque his Alma Rosæ quî noscere possent odorem,  
Aut quem fætorem Brassica mittit olens ?  
Aut qui consulerent hujus sententia quæ sit,  
De Conchâ aut Cepi cum fera bella movent ?  
Namque e corporibus, nôsti prout ipse, Richarde,  
Diffluere haud paucis frustra minuta petunt ;  
Dumque per hos volvunt sese, surguntque canales,  
Totius exemplar suppeditare solent.  
Ut pedites Domini currus præcedere fueti,  
Quo Caupona sciat nomen habentis iter.

Ex Nervis etiam, cingunt quicumque palatum,  
Hanc quoque de gustu ponere jura ferunt.  
Absque hoc, pro Baccho quem dat Campania, potent  
Turbida (Dii prohibent) Vina Tagana Duces ;



Nec qui Cervisiæ, scirent Matresque nurusque,  
Aut laticis Citrei qui sit in ore sapor.

Hâc quoque de causâ nostras annectit ad aures  
Tympana, quo meliùs combibat ipsa sonos;  
Qui grati, ingrati, lenes sunt sive sonori,  
Hivè illivè, prout tympana pulsa regunt.

Denique ne sensum tractandi amittere possit,  
(Quo sensu gaudet non mediocre frui)  
Ad digitosque pedum extremos manuumque vicissim  
Nervos subtiles mittere mille solet;  
Hique animas retro ad Cerebrum se vertere cogunt,  
Utpote qui vicibus grata referre volunt;  
In quo clara horum cum sit signata figura,  
(Quod modò subjeci, si meminisse queam)  
Non minùs exactè causam dijudicet Alma,  
Quam si Spectatrix adforet ipsa loco,

Sic dum paganos Scribas, jurisque-peritos  
Judex diversas cogit inire vias;  
Sublimis celfo in solio fedet ipse quietus,  
Pro Brevibus latis jura dat unde foro.  
Sic quoque dormitat Romæ vel Papa precatur,  
Eque Quirinali non movet arce pedes:  
Qui Speculatores sanctos tamen inde remittens,  
Percipiensque simul qualiacunque monent,  
Faustos per Templi fines regnare videtur;  
Eque suâ Humanam corrigit ipse fidem.  
Qui Stagyritanæ malunt incumbere sectæ,  
Ejusdemque acres dogmata prisca tenent,

Pugnant

Pugnant hoc agnôsse novos discrimen Amicos  
 Præterquam juxta plus minus esse nihil.  
 Namque quod ad mentem, dum vos contenditis, aiunt,  
 Hanc sedem in Cerebro semper habere suam;  
 Hanc tamen extendi, saltem hoc concedere sueftis,  
 Hinc Lis nos inter tota repentè cadit.  
 Nam licet ex Capitis formâ & compage vacetis  
 Dicere, dum fuerit craftina vifa dies;  
 Attamen hanc Molis partes se extendere in omnes,  
 Hoc vifum cuiuis non minus esse potest.  
 Totus honos igitur quorfum attollatur ab imis  
 Partibus, ut Cerebrum pondera plura premant:  
 Artus cum reliquos liceat cuicunque notare  
 Non minus esse alacres in ftatione fuâ?  
 Nam citharæ quamvis capiat modulamina vertex;  
 Artificis tamen hæc elicit una manus.  
 Militis atque licet cingantur tempora lauru;  
 Arma ad pugnandum Brachia fola gerunt.  
 Prætereà Nares, Aures, & Lumina non sunt  
 Partes, auxilium fed dare quaeque folent.  
 Quinetiam ex illis ab origine progrediuntur  
 Quos linguam audieris mittere cunque fonos,  
 Dic mihi quid per fe Caput hoc absolvere poffit,  
 Demptis auxiliis, quæ dat amica cohors?  
 Quid nifi vecordem poffit monft rare figuram?  
 Dormiat, aut doleat, præter agatque nihil?  
 Nec quicquam refert, te poffe oftendere curfum  
 Quâ ratione Animæ tempora verfus habent.  
 Sunt priùs iſtæ Animæ quodam de carcere miſſæ,

Carpere

Carpere per venas quam potuere viam.  
 Quâvis censurâ dignas quas esse putemus,  
 Quàm venisse, priùs si rediisse velint.

Si venere igitur, ficut nos credere dignum est,  
 A manuum digitis, a digitisque pedum;  
 Res ita cum fuerit, digitis manuumvè pedumvè  
 Est opus ut vertex ipse priora ferat.  
 Si ingenuus certes, hoc te concedere oportet,  
 Tactum per sensus quosque tenere locum.  
 Aspice concordēs crepitant ut frigore Dentes,  
 Si gelidâ extremos imbuis ipse Pedes:  
 Aut si quando Pedum patiantur verbera plantæ;  
 Ut Capiti fervor plurimus inde venit.  
 Tactum calcatus Thraso atque beatus Amator  
 Per membra infusum quælibet esse volunt.  
 Nunc advertite precor, proferre Lucretius audet  
 (A Creecho ut juvenis discere quisque potest)  
 Lumina facta quidem sed non potuisse videre,  
 Nec preffare Manus, pone sequivè Pedes:  
 Artus Naturam incautam ostendisse priores,  
 Usus mox horum cuique dedisse suos.  
 Membrorum hinc nullis sua munera nota fuisse,  
 Dum fors impellat quælibet una movens.

Imprimis Villam sibi Vir molitur; & inde  
 Saxa ad vescendum non satis apta videt.  
 Arboribus terræ defossis, obstupet Alter  
 Has nec ferre Librum, sive Numisma vetus.  
 Philosophus tamen ille fuit summusque Poeta,

Talia pro veris quem docuisse ferunt.  
 Mortalis Ratio benedicta fit illius ergo,  
 Quæ ferò veniens vènit amica tamen.

Sed quis tam vecors e tecto prodiit unquam  
 Cum fellâ frænos impositurus equo,  
 Lucinæ famulam quo ad sponsam adducat, & idem  
 Incertus prægnans num sibi sponsa foret.  
 Nec quis maturam segetem demessuit unquam,  
 Aut tostam e furni detulit ore molam,  
 Enatis nondum Pistoribus atque Colonis,  
 Artes has illum qui docuere duas?  
 An nondum ambitæ possunt dare nolo Puellæ?  
 An possunt-----Musam siste, Richardus ait,  
 Dum tu Pindarica adproperas mihi vera referre,  
 Versibus alternis claudicat illa frequens.  
 Versibus? An, retulit Matthæus, talia curo?  
 Mitis & ingenuus perge, Richardus ait.

Hoc nihil esse aliud quam si Natura togatam  
 Artem exercisset, Chare Richarde, patet:  
 Tanquam casu aliquo quondam se in sede locasset,  
 Urbi vestitus compositura rudes;  
 In Monumethensem quos vicum deinde tulisset,  
 Ut caperent aptos quilibet inde sibi.  
 Sartorum verò, Thesis hæc quâ in parte laborat,  
 Liber & adscriptus dicere quisque potest.  
 Si figmenta caput pertentent talia, sexus  
 Quo pacto aptaret vestibus ipse duos?  
 Quas faceret chlamydes, atomorum more valerent,  
 Formicæ

Formicæ aut Ceto congruerentque pares.  
 Non ita : Corpoream studio notat ante figuram,  
 Quàm modulum membris admovet unca manus.  
 Dorfi & Thoracis Catharinæ tegmina veræ  
 Non incorporeae condidit ille Deæ.  
 Error delituit nullus prope strata tabernæ ;  
 Queis operam dederat, noverat ipse, viris,  
 Ad quorum moles artem sine fine regebat ;  
 Huic aliter nummos quis numerare velit ?  
 Præterea si mutetur fors ipsa, Richarde ;  
 Quam malè succedant res tibi quæque nota :  
 Dempstis Plantarum vinculis, trans Lumina fige ;  
 Conspecilum digitis mox adhibeto pedum :  
 Tunc litem hanc dirimes vel tu, vel Memmius ipse,  
 Quàm scitè aut irent prospicerentvè viri.

Oppugnanda tamen Sapiencia, quo tuearis,  
 Ut quæ tam petulans tamque proterva fiet.  
 Et tibi semper erit rerum prudentia major,  
 Hujus adesse aliis quo minus ipse probes.  
 Armorum eventus Doctrinæque unus & idem :  
 Laudem inimicorum vulnera ferre solent.  
 Fauberti ad Ludum si quæ discordia surgat,  
 Cui concedatur gloria prima rudis ;  
 Quis mage laudandum dederit, quo suadeat, ictum,  
 Alter in alterius stigmata veste notat.  
 Errores sic quod reliquorum ostendit, Amice,  
 Surgit honos libro plurimus inde tuo :  
 Horum quôque magis confundere dogmata calles,  
 Hôc plus quæ reperis dogmata laudis habent.

Urgetur



Urgetur veteris quod Aristotelis Scholiastæ  
 Judiciis variis quilibet esse solent:  
 Consilii cujus generalis quisque figuram  
 Ex rugamentis vult variare suis.  
 Haud secus atque oculus nigrâ qui bile laborat,  
 In cælo naves, armâque densa videt;  
 Aut Whittingtonem Prætorem ut quæque salutat  
 Nola, miser Tyro dum bibit aure sonos.  
 Sic Magus exponit sibi Schema : Animæque pererrant :  
 Delirus Vates sic quoque mira videt :  
 Sic plus quam simplex Lumen sibi Scotus adoptat ;  
 Nec glans Germanis plumbea missa nocet.

Origines, Theodoretus testantur utrique,  
 Et quinquaginta non sine laude viri,  
 Si commentati quæ sunt vestigia mentis  
 Doctoris magni sat reperire queant;  
 Nec confumi Almam nec letho posse perire :  
 Quod pariter constans altera secta negat,  
 Durandus cum Simplicio simul & Theophrastus ;  
 Nomina magna, metro vix tamen apta legi.  
 Mirantur quo pacto homines latuère Magistri  
 Dogmata, quæ libri scripta volumen habet ;  
 Contenduntque Almam spiracula reddere vitæ,  
 Ceu mors hanc rapiat, sive senectâ gravet.  
 Qui nunc aut sapere, aut delirare videntur ?  
 Alma Afflicta inter bina scabella sedet :  
 Quo magis illa legit, mentis magis æstuat anceps ;  
 Dum Thema vel Scholium perdere quodque solet :  
 Nunc timet aut gaudet dubii spe pendula fati :

Sed tamen hoc ipsi cura, Richarde, fiet  
Dum nos perstamus, curare negotia nostra,

Hoc Systema duplex, hinc vetus inde novum,  
Ut vel semioculo quisquam deprendere possit,  
Fictum est, dissidium quo sine fine foret.  
Nunc ut ad eventum res perducamus amicum,  
Sitque attramenti copia fusa minor ;  
Schema salutiferum mihi jam producere fas sit,  
Tutus & in medio flumine vela regam :  
Nam cum Gassendo si vis foret ut Stagyritam  
Conciliaremus, Chare Richarde, senem ;  
Quot mirarentur nostros exinde labores ;  
Quam pauci hos possent mente tenere tamen ?

Hinc mihi principium capiat Systema, Richarde,  
Oh ! utinam sensu condita verba forent !  
Dum varios Almæ errores, metasque volatûs  
Non dedignatur læta Thalia loqui.

Hoc enode mihi & simplex Systema putabit,  
Per digitos intrat prima quod Alma pedum ;  
Altiùs hinc gradibus justis se attollere pergit,  
Malleolum sensim Crusque Genuque tenens :  
Deinde prout vitæ validus se subjicit humor,  
Jam Femori vires suppeditare parat :  
Hisque pererratis regionibus omnibus infra,  
Tandem ad cincturam quærit habere locum :  
Gaudia, Mæstitiam, Risum dat & inde Dolorem ;  
Quæ pandenda manent ordine quæque suo :  
Tempore nunc matura, licet non tempore culta,

Ad



Ad sedem Cordis scandere pergit ovans :  
 Hinc postquam aut senium vel fraus migrare coegit,  
 Dimissis reliquis occupat illa caput.

Imis ex Pedibus subito Caput usque superne;  
 Concisum & sapiens: perge Richardus ait.

Non est hæc Cerebri sententia vana, Richarde;  
 Progressum motûs hinc tueare volo:  
 Demonstrativè primum hoc ostendere fumo,  
 Quod, quò se moveat, Pes datus ipse fuit ;  
 Et quod crura optant procedere, deinde redire :  
 Quo dempto, quod agant his superesse nihil.

Calcitrat hinc Infans, calcatque & membra volutat,  
 Cum nondum potis est repere pronus humi.  
 Omnia quæ meliùs subigat quò lustrica mater,  
 Arctiùs hæc vinclis membra ligare solet ;  
 Sedibus insolitis nè quæ successerit Alma,  
 Lustralis festi mox stupefacta sono,  
 Dum timet, ærumnæ aut venturi præscia luctûs,  
 Sese iterum tacitâ subtrahat inde fugâ.  
 Sors Almæ Infantis perquam miseranda videtur:  
 Ut cui Lusoris pars subeunda mali est,  
 Ludere quæ nollet, si mens sibi libera detur:  
 Cui desistendi copia nulla tamen.

Rursus cum vires majores sumpserit illa,  
 Ut Pueri astringat Fascia nulla Pedes,  
 Si crebrò in somnis nocturno tempore calcet,

Aut vaga per lectum volvere membra solet;  
 Incursus primos crassa hos Catharina rependit,  
 Corpore quæ Puerum femifopita premit.

Ex isto ætatis spatio nunc, Chare Richarde,  
 In scenâ hâc mundi quo posuere Pedes  
 Specta, ut conscenso baculo vel forte pyagrâ,  
 Circumagunt cursus tecta per ampla suos,  
 Dum fictos proli dat equos pia cura Parentis,  
 Cum Smithfieldi aderit proxima festa dies:  
 Et sunt felices cursus ter & ampliùs illi,  
 Principium ætatis quos puerilis amat.

Hinc annis aliquot nunquam subsistere nôrunt:  
 Crura voluntatem, cernis ut ipse, regunt.  
 A mane exorto dum sol descendit in undas,  
 Per sylvas per agros currere quosque juvat:  
 Lasciviunt, saliunt, saltant, luduntque frequentes;  
 Nec dicta aut Friendi vel tua, Snape, movent.

Ut verò ad sedem vicinam jam volat Alma,  
 Atque, prout dixi, gaudet adire femur:  
 Auxiliatrices & amicas viribus usa  
 Sympathicis ulnas illa calere facit.  
 Dum viridi in campo saltans sibi plaudit Eliza;  
 Et Susanna levi ludere visa pilâ:  
 Conos disponit dum sedulus inde Johannes;  
 Ferri hinc Rogerus pondera torquet ovans;  
 Brachia sponte suâ nec non & Crura moventur:  
 Quod dare perspicuum mens mihi sola fuit.

Altiùs inde dato saltu se subjicit illa :

Oh ! referam quem nunc malit habere locum ?  
 Mentem mutatam sibi jam deprendit Ephebus ;  
 Nec cursûs, nec jam gaudia ruris amat :  
 Neglecti Catuli comites priùs otia ducunt :  
 Et volucrum per agros agmina tuta volant.  
 Hinc subitus campo sese subducit amæno ;  
 Ob Nympham gemitus incomitatus agens.  
 Ignes crudeles queritur, sævosque dolores,  
 Et lugens planctus fundit ab ore graves.  
 Sola relinqui etiam jam Nympha exoptat & unum,  
 Amotis reliquis, ardet habere sibi.  
 Nymphe paulatim juvenili fervet amore,  
 Concipiensque ignem languet ut ipsa domet.  
 In nemore hinc gaudent concurrere vespere quoque,  
 Ex quo concursu crescere pergit amor.  
 Inde sacerdoti rem narrant ordine totam :  
 Connubio jungit ; cunctaque deinde bene.

At, mea Musa, audis si me, procul esse memento :  
 Non sunt innuptæ quæque notanda tibi.  
 Dorsi & Thoracis ter trino tegmina mense  
 Laxa, & jam brevior facta subûcla docet,  
 Istoc ætatis quod mens constricta volucris  
 Cincturæ in Spatio proximior jacet ;  
 Et quod vita infans, sensus vegetusque oriuntur  
 Ex virtute hujus, quæ fuit inde potens.  
 Prolificos radios Phæbi sic lucidus orbis  
 E mediâ Mundi parte vibrare solet :

De quâ sede jubar partes jaculatur in omnes,  
 Ut vigeat blando terra quod igne facit.

Mutus adhuc, barbâ tandem mulcere Richardus  
 Et Capitis tegmen tollere visus erat;  
 Tum palmâ in mensam positam juveniliter actâ,  
 Tales extemplo misit ab ore sonos:  
 Certat, Dulce Caput, quicumque est fautor Amoris,  
 Quem tenet, inferius te posuisse locum.  
 Quos tu fautores narras mihi, quæso, Richarde?  
 Musarum comites, quos bene noscis, ait.  
 Mi dolet hos cætus te deseruisse virorum,  
 Vita tibi cum queis hætenus acta fuit.  
 Solos Sermonum Scriptores rebar amicos  
 Lucrum ob privatum destituisse suos.  
*In cor stillavit* scripsit Lucretius; auctor  
 Qui nos erudiat ni minus aptus erit.  
 Mollis idem Naso, tenerorum Lufor amorum;  
 In re nec judex futilis ille fuit.  
 Ipse *jecur torret* numerosus Horatius; omnem  
 Qui vim verborum prendere mirus erat.  
 Hunc animi affectum simili Maro sede locavit:  
 Auctorum quid opus plura referre tamen?  
 Constat, sive Epicum Carmen, ceu consulis Oden;  
 Hunc illumvè locum quod sibi poscit Amor.

Haud animadvertens in te, iratusvè, Richarde,  
 Hoc tibi rescissum protinus ipse dabo.

Principio vates, ut Mundo convenit omni,  
 Dant operam ut placeant Scripta, lucrumque ferant.  
 Hinc tibi Materiam promunt simul atque figuram;  
 Ornamento hæc est, utilis illa magis;  
 Queis quo more struant sua dum convivia curæ est,  
 Pascere convivas atque placere student.  
 Proposito tamen huic æquo occurramus iniqui,  
 Res animo quàm sunt percipiente secùs.  
 Sic Prætoris apud mensam si prandia sumas,  
 Cervinam hîc comedes, tostaque terga bovis:  
 Hinc ad Bustardos aut Cygnos pergere mos est,  
 Post hæc Scriblitas Oogalafque petis;  
 At Citrei cortex Pomi, & folia ampla Tulippæ,  
 Quo patinas ornent, lata fuere simul:  
 Et vexilla etiam tersa & depicta superbè  
 Festum haud ingratum te celebrare docent.  
 Sanus odoratur tantum cum cortice flores;  
 In mensâ positas sed premit ore dapes:  
 Et Caput huic hebeti vacuum patet esse Cerebro,  
 Qui pro Scriblitâ carbasa picta voret.

Arcum quod Veneris Natus gerit atque fagittas,  
 Passeribus junctis fertur & alta Venus,  
 Hoc emblemata homines doceat nil, præter id unum;  
 Quod Puer est acer, Mater & ipsa falax:  
 Sensus imaginibus latet his aliquando profundus,  
 Inspectis propiùs nullus adesse solet.  
 Nam quis concipiat fingunt quæcunque Poetæ,  
 Cælia quod cælum luminis orbe gerit,

Aut



Aut qui sit sensus manifestus, sive remotus;  
Cum dentes Gemmas, labra Coralla vocant?

Flaccus & ille tuus variè scripsisse fatetur  
Sese, ut Mens petulans vel sibi sana fuit;  
Quæque ultra legem est visus finxisse Poeta,  
Philosophus prudens hæc tibi recta dedit:  
Carmen Epistolicum cujus grave diluat Odas,  
Scripsit amatrices quas prior ipse levis.

Idalium quanto Lucretius intonat ore  
Dum Puerum fictâ cum Genetrice canit?  
Nuncupat hanc Dominam terrâ cæloque potentem,  
Huic subdit ventos, huic vada falsa maris;  
Dumque, Deam celebrans, variis hanc laudibus effert,  
Suppliciter, versus dictet ut ipsa, rogat.

Attamen ut vatum sese furor ille remisit,  
Chartâ in vincinâ sobrius atque dolens,  
Hanc quoque cum reliquis vactam Diis atque Deabus  
Sedibus in superis dicit habere locum,  
Qui nec res hominum curant, ipsamvè salutem,  
Quot laqueo intereunt, quotvè dolore gravi;  
Cælestes animos nec agentes otia turbant  
Scapini fraudes, Cæsareumvè decus.

Nec Romani unquam poterunt monstrare Poetæ,  
Quâ constans certâ fede moratur Amor.  
Inde jecur torrent, vel Cor terebrant, ut utrumvis  
Carminibus numeros suppeditare potest:  
Cujus si cupiat quivis cognoscere causam,

Hoc

Hoc brevius, dicunt, longius illud erat.  
 Sic libertatem vel Musa Britannica sumat,  
 Ut reor, externus quam sibi quisque petit.  
 In sermone mero nosmet plus juris habemus :  
 Cur foret in versu dic mihi, quæso, minus.  
 Si simplex mittat jaculum quandoque Cupido,  
 Tum Cor amatoris vulnus habere solet :  
 Arcum sin capiat, gravidam telisque pharetram ;  
 Certius hoc nihil est hunc terebrare jecur :  
 Namque vale possit Rationi dicere Rythmus ;  
 Et jus in sensum suêvit habere sonus.

Sit tamen in versu sociis censere potestas,  
 Quod permittendum scripta soluta negant ;  
 Arte secant qui membra hominum hoc ostendere possunt,  
 Quôd jecur officio fungitur usque suo :  
 Usibus & vitæ quòd se communibus aptat ;  
 Dum colat succos, attenuatque simul :  
 Utiles hinc Bilis tantum seponit, ineptum  
 Chylum ad tingendum quod satis esse potest.  
 Absque hoc cum fatyrâ nobis tùm sale carendum ;  
 Mansuetudo hominum rumpat & omne genus.  
 Felle patet rerum quod non sit amarior ulla ;  
 Dulci & jucundo semper abundet Amor :  
 Hinc frustra Logicen me olim didicisse fatebor,  
 Si modò sit dulcis res & amara simul.  
 Doctrinæ nec prima Elementa hausisse videtur,  
 Qui ignoret quantum a Bile remotus Amor.



Jure etiam dici de Corde simillima possunt,  
 Nascitur unde Pavor vis animique simul.  
 Omnes queis vaga sunt corda & demissa, tremiscunt  
 Tympana si audierint ingeminata sonis.  
 Queis Pavor officio medicinæ fungitur apto :  
 Ingruit armorum nam simul atque fragor,  
 Cor se submittens femoralia tendit ad ima,  
 Et Stomachum dirus vellicat inde dolor.  
 Interea Heroes, queis vinci aut vincere certum est,  
 Altiùs in summo pectore Corda gerunt:  
 Quorum fibra, simul crudescit fanguine pugna,  
 Ipsos Thoraces exagitare solet;  
 Dumque ibi se vibrat sonitus comitata Tubarum;  
 Summa inter pugnam gaudia cuique facit.

Nunc si in Corde uno virtus se ostendere mavult,  
 Et manet in nullo tam manifesta loco;  
 Qui probet hoc, sudet multùm, multumque laboret;  
 Ex æquo folium quod sit Amoris idem.  
 Naturam finxisse locum quis credat eundem  
 Ardoris sedem diffidiique gravis?  
 An nisi pugnando cum corpora fessa reducunt,  
 Gaudia nequaquam percipienda viris?  
 Et, nisi qui Patrem Stygias demisit ad undas,  
 Progeniem cuivis non generare licet?  
 Judice me, talis sententia prorsus inepta est:  
 Hinc medias partes semper habebit Amor.

Quòque magis verum hoc possis tute ipse fateri,  
 Herois fac ut pectus Amore flagret.

Fel simul atque furor quamvis totum ante tenebant,  
 Quæ Palmâ, aut solâ Morte demanda forent ;  
 Jam sibi diffidens mens decidit ; odit & arma,  
 Ampliùs hostiles vult nec adire manus.

Ereptam ob Famulam, ut Longurio, flevit Achilles ;  
 Defidiâ & somno cui periére dies :  
 Nec priùs ad bellum cædemque redire volebat,  
 Ad se quam Mystæ Nata reducta fuit.

Cessit ab Actiacâ fugiens Antonius orâ,  
 Urgente Augusto, deficiente Asiâ :  
 Carbasâ picta manu pendente Cupidine vento,  
 Mundum, salva foret quo Cleopatra, dedit.

Edvardus Quartus venerandus & inclytus armis,  
 Jam juveni cinxit cui diadema caput ;  
 Pulchram huic Anglorum dum vox & Cura Nevilli  
 Gallorum hæredem vult sociare toro ;  
 Imperium & pacem bellis mutavit & irâ,  
 Unius ut Viduæ lumina sicca daret.  
 Gallorum Henricum, qui rex cognomine quartus,  
 D'Esthrææ pulchræ succubuisse patet ;  
 Qui Faustos Coutræ campos post terga relinquens,  
 Fortunamque etiam, quæ dare facta manus,  
 Vultu obvelato vigiles & castra fefellit,  
 Perque juga & valles nocte tetendit iter,  
 Ut cum Lascivâ sese oblectaret Amicâ ;  
 Cujus in amplexu perdidit omne decus.


Hos favisse Viros quicumque negabit Amori,  
 Audax ille animi Censor habendus erit;  
 Sed magis ille audax animi, qui dicet iniquus  
 Detrectâsse viros hos grave Martis opus.  
 Cum tamen erigeret jam nunc sententia vel Cor,  
 Accensum digno vel daret igne jecur;  
 Illas ad partes se blanda receperat Alma,  
 Quas meliore suas nomine dicit Amor.

Plura tibi possem proferre Exempla Virorum;  
 Sed sint, quæ retuli, quatuor ista satis:  
 Namque Exempla sibi cum quis delegerit apta;  
 Quadringentorum quatuor instar erunt.  
 Hoc est a Græcis, hoc est Româ usque petitum;  
 Altera finitimis nata fuere locis.  
 Nam Veterum libros nonnulli evolvere gaudent,  
 Sunt quibus e contra Scripta moderna placent:  
 Quorum, verba animi si dicere libera possim,  
 Duci me ignarum neutrius ipse volo.





## LIBER SECUNDUS.


 ED quid ais, Nosmet par est educere Musam,  
 Eductam temerè linquere deinde viâ?  
 In medioque argumentum nos mittere oportet;  
 Urſa ut Butlero est miſſa ſimulque fides?

Novit at ille, opifex numerorum ad prima peritùs,  
 Tempore quo inſtaret, ſubtraheretvè pedem:

Cujus nos doceant neglectus non ſine laude,

Quæ loca nullius ſperet adire labor.

Reſtim conſcendit Funambulus ille peritus,

Dum tibi ſpes mentem diſtrahit atque timor :

Sique, dato ſaltu, quem jam ſtupet inſcia turba,

Demiſſo conto, creditur ille labi ;

Colligit hîc ſubitò juvenilitèr undique vires,

Dimidioque ſui cellior inde redit.

Arte ſtupes viſâ obtutu defixus in uno,

Eque pavore tuo gaudia ſumma capis.

Geſticulatoris miſeri dum prodeò ritu,

Saltantem Dominum peſque referre nequit:

Paulatim circa reſtim mea membra voluto ;

Et licet ex humili ſerius inde cado.

Hoc tibi, digreſſus quod ſum, præfatio monſtrat:

Parte aliquâ ſaſſus crimina liber abit.

Mi placet hoc Emblemata tuum cui deinde Richardus,  
E contraque tibi bina referre volo.

Ut cameram obscuram monstrant quicumque Magistri  
Astantis variâ lumina luce trahunt ;  
Flammiferumque croci diffusum hâc parte colorem  
Mox glauco avertunt, restituuntvè rubro :  
Hâc tamen ex variâ, quæ fit mixtura, colorum,  
Affixum toti lumen, amice, tenes.  
Aut veluti Dominæ, queis ætas transit in aulâ,  
(Quæ nova Natali pallia quoque parant)  
Quas variant vestes, has arte ornare laborant ;  
Quoque magis dispar quæque sit, apta magis,  
Hinc si palla riget signis auroque superba,  
Huic levis interior pars solet esse decens :  
Exterior si pars Indis signata figuris ;  
Interior simplex & pretiosa fiet.  
Sic placuit vobis, qui authores nominis ampli,  
Ingenio excursus quod sua fræna daret :  
Argumenta igitur si quando ferociùs urgent,  
Blanda his temperies mite levamen adest :  
Queis distorquetis vires, ut acumina perdant ;  
Sermonemque merum condecorare placet.

Cui sic Matthæus contra, tua verba, Richarde,  
Quoddam in se vastrum, splendidulumque ferunt :  
Sed mihi jam certum est Thema retrectare relictum ;  
A te laudatus, ceu reprehensus ero.

Postquam



Postquam Mortales subiére jugalia vincla;  
 Vires paulatim jam sibi ponit Amor :  
 Votum hinc mundanum, simul atque domestica cura  
 Turbare incipiunt mollia facta Dei:  
 Nuncque, valetudo prout ingeniumque novatur,  
 Alma cupit spatio liberiore frui,  
 Circum imas partes versatur, deinde supernas,  
 Nugamenta velut quæque movere solent.  
 Sic mercatori domus est sublimis in urbe,  
 Banstedi ad campos villaque culta nitet :  
 Missæ hinc externis chartæ signantur amicis,  
 Hinc promit merces, æraque justa petit :  
 Inque illâ, quoties invisa negotia cessant,  
 Ora tubo mulcens gaudia lætus agit.

Jamque maritalis, spatio volvente, Cupido  
 Vinclo irretitus languet, & inde stupet.  
 Testante Historia, nam nos simul edocet usus,  
 Quod frigente viro, fæmina mente dolet.  
 Hic libertatem, ditionem exoptat at illa ;  
 Propositumque suum quisque tenere studet.  
 Hic proferre foras ardet vestigia liber ;  
 Imperiumque sibi flagitat illa domi.  
 Languescit gradibus tardis hinc ardor Amoris ;  
 Et jam læta minùs, sollicitata magis,  
 Sedula Mens rarò sedes descendit ad imas,  
 Gaudia tanta illi quæ tribuére priùs :  
 Pectoris at vallo penitùs munita quiescit,  
 Et blandas fraudes, bella futura parat.

Conjicit

Conjicit Uxoris lachrymas hic ora rigantes  
 (Autumno exacto cum moribundus erat)  
 Proposuisse sibi nil profusus praeter id unum  
 Supremam ut tabulam dos magis ampla foret.  
 Deliquiumque hujus fucum sibi femina factum  
 Agnoscit, morbo cum modo pressa fuit;  
 Nec latet hanc illum jam tum statuisse, nigella  
 Quod Susanna sibi sponsa secunda foret.

Perque aliquot tardos cum sic certaverit annos  
 Mentitis votis haud dubioque metu;  
 Responsis tandem fessa his dictisque, Johannes  
 Affirmat, mendax Marthaque falsa refert;  
 Dimissa tandem rixam hanc sine fine molesta,  
 In magis excelso mens cupit esse loco.

Thraces armiferae Poltis Rex ille benignus,  
 Ut reor, hac ipsa conditione fuit.  
 Nunc Asia ingenti fervebat tota tumultu:  
 Atque Deum turmas cogere quisque parat  
 Trojanis, Graecisque; (prout sua cuique libido est.)  
 Poltis dum interea regna quieta tenet.  
 Dicite quid sibi vult turba haec, discordia tanta,  
 Mentis pacificae Rex ait ille suis?  
 Atridae Paridem sponsam abduxisse remittunt,----  
 Haec mihi vel vacuo lis dirimenda foret:  
 Damnum qui tulerat, sponsam non perderet Heros;  
 Nec juveni cupido sponsa petenda foret:  
 Ast Helenae infidae, non permittente marito,  
 Sortem mutatam, quae fuit ante, ferunt.

Quid



Quid Paris a raptâ poterit sperare maritâ?  
 Forsitan hunc etiam deseruisse velit.  
 Contra quo pacto sponsus prior ille relictus  
 Famâ hanc incolumi pergat habere domi?  
 Hinc mihi colligitur Logicorum more, quod ipsa  
 Fæmina cum neutro jam remanere potest.  
 Uxorum mihi nunc par non ignobile, quarum  
 Nemo hanc aut illam pugnat habere sibi:  
 Altera mærenti jam nunc mittetur Atridæ;  
 Altera Trojano non renuenda Duci.  
 Sic famâ incolumi Princeps potietur uterque,  
 Quod nunc tam vehemens poscit habere sibi:  
 Ira Deum atque Hominis mox hinc subsidere discat;  
 Et pax in vitâ Poltidi, morte fiet.

Hæc Fabella tibi modo sit jucunda, Richarde,  
 Ipse Popo grates, qui mihi dixit, habe.

Almæ se quocunque modo fuga concita mutet,  
 (Adjectamenti quod tibi pone loco:)  
 Artus nonnullos solet hæc deprendere eosdem,  
 Queis locus est unus, nomen, honorque simul:  
 Queis locus a spatiis adeo sejungitur aptis,  
 Horum ut mox socio deferat alter opem.  
 Æqualem sic, qui currit saltatve, vigorem  
 Binorum crurum quærit adesse sibi;  
 Queis Almæ ambobus tantum confidere mos est,  
 Curat, utrum prius it posteriufve, nihil.  
 Quorum olim neutrum cohiberet Hibernicus ille,  
 Cum se præcipiti sustulit ipse fugâ.

Mortalis pugnâ ancipiti quicumque laborat,  
 Læva huic ex æquo est dextraque fessa manus.  
 Altera namque manus dum plagam infligit ab alto,  
 Et dejecta hostis corpora fundit humi;  
 Altera tractatam sese censeret iniquè,  
 Interea in oculis si malè merfa foret.  
 Cumque oculo clauso tormentum dirigis uno,  
 Non hoc livori te tribuisse velim;  
 Auxilium socio tanquam non tradat amicum,  
 Aut cilia ignavus clausa timore gerat.  
 Non ita ; paulisper subducit lampada prudens;  
 Visus quo socio certior inde fiet.  
 Temporis hoc puncto radii si forte recedant ;  
 Attamen ut primum cæsa jacebit avis,  
 Jam sese aperiens rursus sibi poscit habere  
 Dimidium famæ, dimidiumque lucri:  
 Non jam segnis adest, nec inutilis ; impiger at fert,  
 Quo præda in oculis defodiatur, opem.  
 Sic Mercatori mos est subducere sese,  
 Tempora quo socio det potiora suo.

Dissimiles rursus quidam mole atque staturâ  
 Artus, conjunxit quos nec origo sua,  
 Concordes faciunt, ut Amici temporis hujus;  
 Auxilium sibi quod mutuo quisque ferat.  
 Motus hinc Cordis servat quoscunque lacertus,  
 Pro quo tam præceps prælia sæpe movet;  
 Ut, quamvis fervens, decernat tardius illud,  
 Ictum hic quàm subitum præcipitare solet.  
 Huicque alicui astanti contingat habere, priusquam

Ictum

Ictum qui posuit, se posuisse sciat.

Lumina sic latè semper lasciva vagantur  
 Vicinorum ergô qui inferiora tenent :  
 Ante etenim multo, quam ut sedent pectoris æstus,  
 Armiger & virgo labra tulère simul;  
 Cum jam congressûs nondum datur ulla potestas,  
 Sympathicè lumen per loca cuncta volat;  
 Agnoscensque procul Florimellæ occurrere flagrat;  
 Et salvere jubet, Si modo visa sibi,  
 Sit licet in scalis, aulâ, aut conspecta fenestrâ,  
 Imò, aiunt, quamvis oret in æde Dei.

Funebres pompas Equitis si quando videbis,  
 Pulchrè rem poterunt hanc aperire tibi.  
 Cæstus ecce duos ; e queis ediscere possis  
 Utraque quod bellis huic fuit apta manus,  
 Nec perfusa auro minùs hoc calcaria monstrant,  
 Partem æquam binos sustinuisse pedes.  
 At meditabundus gladium nunquamnè notâsti,  
 Qui clypeum ex æquo pendulus inde secat?  
 Qui monstrat pectus, fuit hæc cui lamina gesta,  
 Prævalidæ dextræ non renuisse fidem:  
 Annon & galeam quæcunque foramina scindunt  
 Agnoscunt, luci quæ via sola patet,  
 Hinc limis pulchram longè hunc spectâsse puellam,  
 Atque omni cultu condecorâsse simul,  
 In quâ oblectandâ vitæ spes tota locata est,  
 Cujus & ob manicam prælia movit ovans.

Forſitan objicias Syſtemati nunc generali  
 Plurima; quæ minimè viſa fuere mihi:  
 Sed tamen interea auxilio mihi bina vocanda  
 Sunt, intervallum proximitasque (nota:)  
 Reſque probem cunctas, ſi quando poſtulat uſus,  
 Inter ſe hærentes velle manere ſimul;  
 Almam a naturâ non declinare bilancis;  
 Ponderis & cauſam quamque valere modo.  
 Si trutina hæc ſurſum, nec ſe ferat illa deorſum,  
 Ut damnum aut lucrum, ſpeſvè timorvè regit:  
 Cælum inter terramque, tuum ut, Mahomete, ſepul-  
 chrum,  
 Semper in æquali lanx ſtatione foret.

Crede mihi res eſt hæc exquisita, Richarde:  
 Hinc oculos radios mittere ſinge pares,  
 Ad duo vel potùs diſtantia pocula longè,  
 Zythum utrum teneat Cerviſiamvè rudes:  
 In ſtatu hoc dubio, dum mens tibi fluctuat anceps,  
 Certum conſilium non valet ipſa ſequi:  
 Quorum utrum prius aut pejus dignoſcere neſcis;  
 Et niſi jam biberis mox moriére ſiti:  
 Fors incerta vagos tibi dum defleſtat ocellos,  
 Alterutrumque horum ſuadeat eſſe prius;  
 Quo factò, partes tenet Alpha aut Beta priores,  
 Angulus ut quivis, Linea quæque coit:  
 Inde voluntatem ſenſus jam certus adurget;  
 Illa manum extendit,----ſic tibi fume fatis.

Nonnè obſervâſti Servam Piſtoris, ut hæret  
 Inter clitellas exagitata pares?

Taleolæ

Taleolæ in mediâ cujus si parte locentur,  
 Apta ad nil prorsus pigraque turba jacent:  
 Queis si turbatus fuerit status ille quietis,  
 Pondere fortuito dejiciente loco;  
 Hinc illincque fragor subitus tibi fertur ad aures,  
 A dextrâ aut lævâ ut quæque peracta notant.

Nunc hæc astringens vis est mittenda, Richarde,  
 Ut sibi propositum te sine flectat iter,  
 Magnanimi Reges coguntur ad arma, gravatum  
 Ut Boream versus fertur acumen acûs.  
 Ipse egomet tecum, vi nos urgente latentèr,  
 Passivi omninò ducimur ambo simul  
 Hennaulti in cellas, thalamum vel, Cælia, vestrum,  
 Quo chartam aut stramen succina more trahunt.  
 Ludere si volumus pictisvè quiescere chartis  
 (Lusu aut Hispano, aut quo tibi cunque placet)  
 Fallaces stultosvè licet nos turba loquatur,  
 Ex æquo Chartæ nosmet & arma sumus.  
 Immeritas certè Chartas damnamus iniqui;  
 Quas nos dilcidimus miscuimusque simul.  
 Fortunæ auxilio frustrâ confiditur ulli;  
 Tantum spectatrix suevit adesse loco.  
 Vani Homines! vanæ Chartæ quoque! nosmet & illas  
 Vis quædam impellens non subigenda movet;  
 Et dum Lusorum speciem præbere videmur,  
 Ludimur heu! vicibus tota caterva suis.  
 Materiem spatiumque tamen culpæ tenemur:  
 Quæ lusum evertit, surripuere volam.

Sed



Sed tamen ut nostra hæc agnoscant jurgia finem,  
 Nec figmenta putes, quæ tibi vera loquor ;  
 Ut dicam ingenuè nobis attractio cordi est:  
 Hanc, animi queis fit vis ea tanta, negent.  
 Corporei motus, nec non sententia mentis  
 A cæco impulsu quæque venire solet:  
 Vel cum te dicis meditantem incedere quidquam,  
 Armigerum agrestem quam benè voce refers ?

Accipe nunc ;----Quocunque loco Phantasia flammæ  
 Vitalis radios sive Cupido legit;  
 Huic membro tacitè formosa illabitur Alma,  
 Atque ibi pro certo tempore certa manet,  
 In linguâ sedem Nicolini exultat habere,  
 Cælestes Pyrrus dum ciet ore fonos.  
 Dumque Lyræ Pedro percurrit pectine chordas,  
 Artificis docti dirrigit illa manum.  
 Æsophagum Macri solet hæc transmittere præceps,  
 Prandia solus habet cum sibi Lurco vorax.  
 Confiliique expers cuncti simul atque pudoris,  
 Haustibus æternis illa Bibonis adest.  
 Mollem per sexum rursus se proripit illa ;  
 Ceu mos, ingenium, sive juvena regit.  
 Alma decora, expers curæ, simul atque serena  
 In Franciscæ oculis conspicienda nitet;  
 Dum latè infantes radios diffundere gaudent,  
 Intereaque ignes nescit uterque suos.  
 Inque Florimellæ rursus manifesta videri  
 Alma decens gremio callidior fedet;

Surgentem

Surgentem gemitum cum supprimit, atque tegendo  
Mærores aperit pectoris ipsa sui.

Alma decora etiam in collo tibi, Cynthia, fulget,  
Gemmae dum ostentans, vana puella, moves :  
Dorsi & Thoracis cum tegmina vincta recentèr,  
Janæ ad cincturam lusitat Alma procax ;  
Cumque tumens vestem depictam sustinet orbis,  
Hoc spatium haud dubitans Alma venusta subit,  
Quam dum circumdat spatioso circulus orbe,  
Totius centrum vendicat illa sibi.

Rursus: Membrum illud, vultûs ceu Linea simplex  
(Talis Naturæ vis solet esse potens)

Quæcunque imprimis Almæ succendit amorem,  
Cum subiit pectus jam rude flamma gravis,  
Annis nequaquam delenda videbitur usque  
Pectore sub molli fixa tenere locum.

O Abelarde, puer sub iniquo fidere nate,  
Cladis fama tuæ talia vera probet:

Sed, bene quod novi, damnum crudele Poeta  
Nobilior cecinit non sine laude tuum.

Nam Popus, auditu facti percussus iniqui,  
Anxius ipse animi texuit artis opus ;

Tempore destituent nec serica fila colores:  
Infauftam misero vestiit ille vicem,

Tam placidâque manu tenues induxit amiçtus,  
Ut bene texturæ dicat & ipsa Venus.

Fletus fundenti Monachæ superinduit arte  
Tantâ sacratæ Sindonis ille plicas ;

Ut



Ut discernat Amor fastu simul atque dolore  
 Culpam, quæ vati dissimulata fuit ;  
 Lenitèr abducensque Deus velamina retrò  
 Cultori monstret cuilibet ipse suo  
 Quæ lachrymæ fontes, quæ gratia tanta ruboris  
 Eloisæ charæ condecorâre genas,

Felix is Vates, Fortunatæque Camænæ,  
 Sheffieldus laudes queis dedit ipse suas.

Nunc, prout ætatis vel flos vel dirigit usus,  
 Alma leves lusus ludere mille solet.  
 Si cessator erat puerili ætate Johannes,  
 Dum cornu & contus gaudia sola dabant ;  
 Cursum detineat senium licet atque podagra,  
 Gaudet jam senior voce ciere canes ;  
 Hinc Leporem proprio affixus movet ille camino ;  
 In cathedrâ versans vimineâque premit :  
 Infirmi quamvis fuerint, prout inde patescit,  
 Mentem vicerunt mobilitate pedes.

Si Margarettæ volucris saltare placebat,  
 Cum quondam in talo mens sibi fixa fuit ;  
 Vecordi hūic, sexagenum quæ transiit annum,  
 Jam virides manicæ, festa Joanna sonat.  
 Privato in Mimo, vulgari sive Choreâ,  
 Jurisconsultis qua domus ampla patet,  
 Atriavè Aurificum celebrant qua mense Decembri,  
 Natalis Christi cum redit orbe dies,

Nunc

Nunc cum iudicibus, nunc cum Tironibus unà  
 Gaudet ad Ionicos membra movere modos:  
 Frustrà incedentem pueri retinere laborant;  
 Frustrà se opponit canitiesque tremens.  
 Si tamen illa animo simulachra obscæna recurrant,  
 Inguen quæ flammâ corripuere priùs;  
 Antiquos iterat mores oblita quod anni  
 Præteriêre quatèr non minùs atque decem:  
 Læta malè, absurdèque hilaris, rubicunda Mitella  
 Dum tegit huic humeros, fascia rubra caput;  
 Mentem fallaci nimiùm lymphata furore,  
 Natum orbans servi sponsa fit illa sui.

In linguam si se citiùs subjecerit Alma,  
 Dum flos ætatis vestiit ipse virum:  
 Ille cerebrofæ nunquam non conscius artis  
 Huic membro requiem cedere nescit ovans.  
 Quâ de cunque tibi re disceptare lubebit;  
 Ne dubita, voces arguet ille tuas;  
 Quæ modo dicta neges; dolor hinc augetur eidem:  
 Ille redargutor jam volet esse tui.  
 Namque licet dicas Cicerone disertius ipso;  
 Te tamen haud falli non satis inde liquet.  
 Atque observatu dignum est, hos dicere plura,  
 Auditu dignum queis minus esse patet.  
 Hosque oratores ea fors comitatur iniqua,  
 Ut mala quæ per se deteriora probent:  
 Ut naturali formâ privata puella,  
 Quo fucata magis, tetrior esse solet.

F

Rursum:

Rursum: in fæmineo sexu si forsitan Alma  
 Membrorum hoc sedem malit habere sibi;  
 (Inclemens heu fors & vix medicabilis arte,  
 Quâ careat cordi grata puella meo!)  
 Qui de fede suâ rursus deduceret Almam,  
 Vires incassum proferet usque suas.  
 Ut, qui Lithiasi cruciantur, sive Podagrâ,  
 Hoc unum faciant prætereaque nihil,  
 Nempe cibum potumque sibi emendare nocentes,  
 Hostis quo interior sit minùs inde ferox:  
 Sic, ceu pro nostris peccatis, sive priorum,  
 Dii, nostrî imperium quos penes esse patet,  
 Vitam punirent, justi simul atque severi,  
 Conjuge funestâ cui mala lingua foret;  
 Auxilium nobis dum Mors apportet amicum:  
 Surdos nos fieri, vel tolerare decet.

Est benè nota tibi quædam Matrôna, Richarde,  
 Ægrotum quæ me nuper adivit amans:  
 Garrula mentales vires formasque creatas  
 Per spatium horarum rettulit illa trium:  
 Deinde statum placuit mihi demonstrare priorem,  
 Cum nondum hæc vilis terra creata fuit:  
 Nevè fatigarer longo sermone, recisâ  
 Historiâ, ad tempus vênit, Adame, tuum;  
 Quo factò, cursu potuit quocunque volucris,  
 Mundum submergens tollit in astra Babel;  
 Ordine mox Syrios, Persas, Græcosque pererrat;  
 Romanos memorans posteriore loco.

Naturam verò generalem pingere nostrum:  
 Systema haud Satyræ verba proterva decet.

Nunc

Nunc circum sphaeram volvamus; & inde patebit,  
 Dissensus variis qui solet esse viris,  
 Non in vestitu solo, potuvè, cibovè;  
 Forte, Richarde, vel his qualia quisque putet.  
 Ut lymphæ secum gustum ducunt & odorem  
 Terrarum, lapsu quas adière suo:  
 Moribus ex Almæ sic tu deprendere possis  
 Hæc quoque quo fuerit nata vel alta loco.

Infantum palmis adimebant vincula gens hæc,  
 Stringebat teneros fascia nulla pedes:  
 Artus hîc ad eos nunquam non Alma redacta est;  
 Spartanum hinc petiit calce manumque genus.

Illa priùs docuit pueros effingere voces,  
 Sustentare artus quam potuère pedes:  
 Alma ex quo linguam sedem hîc sibi maluit esse;  
 Atque Oratores Attica terra tulit.

Tantum intra terras has nunc adverte propinquas,  
 Quàm diversi usûs osque manusque fuit:  
 Ut cujusque fuit dispar fiducia gentis,  
 Dum magis hæc bellis gaudet, at illa tropis.

Anglorum in terris, Heylini ut pagina monstrat,  
 Velat demissâ veste puella pedes;  
 In laudem gentis quâ se non exiit unquam,  
 Facti hujus ni res non levis auctor erit.  
 Bracchatosque mares illic incedere cernis;  
 Hanc vestem sexus vendicat ille sibi.

Turcarum in patriâ contraria cuncta videntur;  
 Hic sibi talares vult vir habere togas:  
 Uxorique idem furibundâ voce minatur;  
 Depositis Bracchis si modò visa foret.

Virgo cerebroso sub quo nos vivimus axe  
 Candenti siccat pulvere quæque comas:  
 Pectora queis circum nive candidiora caputque  
 Diffundunt auras florea ferta suas.  
 Hottentottensis virgo magè gaudet omafo  
 Visceribusque ambos condecorare pedes:  
 Hinc ad crura Procus deflectens lumina Tottæ  
 Vultu demisso & supplice voce rogat,  
 Ne sibi crudelis diversum averteret illud,  
 Quod sibi jentaçli spes sit, amorque simul:  
 Nam malè surriperet sese modò Nympha proterva;  
 Huiç duplici sensu mors adeunda foret,

Potores stolidos nosmet juvat usque videre  
 Fæmineos dentes candidiore notâ.  
 Incultusque omnis vilivè e plebe protervus  
 Os mirè croceum ludificare solet.  
 Serum inter populos non ulli fæmina grata est,  
 Atri ni dentes more Gagatis erunt.  
 Rex Chihu uxores multavit morte novenas,  
 Queis dentes nivei causa fuère necis.

Si Tonquinorum Reçtor moriatur in urbe  
 (Expers fallendi quod Loyolita refert)  
 Huic a consiliis, uxor, simul atque Sacerdos,  
 Quicumque imprimis fidus amanisque fuit;

Ignem



Ignem funereum defuncto accendit, & ornat,  
 Deinde petit medio promptus in igne necem.  
 Europæ in populis cujusvis conditionis  
 Talia qui faceret vix reperire queas.

Ad gentes oculos nunc deflectamus Eöas,  
 Et videamus ibi qualia pepla gerant;  
 Principe cum Giolo regales ecce! sorores,  
 Ornant queis papulæ corpora mille decem;  
 Ut gradus interior manifestius inde patefcatur,  
 Hinc plura exterior stigmata pellis habet.  
 Corpora Nobilium decorat magis ampla cicatrix:  
 Quo quisque est major stemmate sive loco;  
 Hoc majora illi simul atque foramina plura:  
 Ipsius exemplar membra fuere Ducis.  
 Felix axis, ubi vestitum haud amplius unum  
 In decus atque usum bellus Ephebus habet:  
 Atque ubi vel minimo decoratur synthese conjux  
 Ætatem in reliquam, si bene puncta fiet.

Indica virgo iterum, sol quæ se condit in undis,  
 Membra omento Ursæ molliter uncta gerit:  
 Hinc nondum visam deprendis odore puellam:  
 Quæque magis fætet, gratior esse solet.  
 Hic nitidi juvenes, hic bellus homunculus omnis  
 Ex humeris imos stillat ad usque pedes.  
 Horum quàm lævis pellis! quam flexile corpus!  
 Hic tantum impuri haud membra peruncta gerunt.

Diversas artes educandi diximus esse;  
 Lecturâ a Pueri principiumque fiet.

Anglica

Anglica mellitam cui donat serua placentam;  
 Litera quâ ducta est ordine quæque suo:  
 Doctrinæque magis studium quo proferat infans,  
 Literulam simul ac nuncupet, ipse vorat.  
 Lætitiâ hinc mirâ procedens, quasque figuras  
 A læva ad dextram jungit & ore petit.  
 Sin pars Hæbræi puero monstrata sit illa,  
 Quam nos principium ducimus esse libri;  
 Hic tibi pro merito grates persolvat, & inde  
 Retrorsum extremo a fine revolvat opus.  
 Quàm celeri cursu doctrinæ elementa voraret,  
 Huic A post reliquas ultima salva foret.  
 Exemplum facti cuius tibi non minus aptum  
 Collectum ex Natæ moribus esse potest.  
 Europæ in terris, insons si forte puella,  
 Naturæ impulsu ducta & amore simul,  
 Facta foret nutrix quæ nondum facta marita;  
 Inter cognatos audiat illa malè.  
 Sinarum in terrâ, Dampiêri ut pagina dicit;  
 (Indice sub cuius tute Pagelli vide:)  
 Britones ut properant e terrâ evellere funem,  
 Et cymba exultans ultima littus adit;  
 Descendunt omnes præclarâ stirpe creati:  
 Hæret & in dextrâ Filia quæque Patris,  
 Quam Pater adducit, Nautam supplexque ferocem,  
 Horæ vel spatium curet ut, ipse rogat.  
 Adstat Mater amans mentem perculsa timore,  
 Ne contempta sibi Filia chara foret:  
 Yaya etiam infelix suffunditur ora rubore,  
 Ne virgo redeat, venit ut, ipsa timens.

Nunc

Nunc ut matronam sua consuetudo coerces

Quæ colit Europam, Chære Richarde, nota:  
Secedit postquam calidos bibit ore liquores;  
Secessus causam, me reticente, tenes.

Accipe nunc quo more viros se gesserit inter  
Quæ rexit populos, magna Pomonqua, tuos:  
Mixturâ exultans, anima hæc insignitè audax  
Primo hausit pateram, reddidit inde mejens;  
Nec non eximii spargens monumenta favoris  
Nautarum adversi misit in ora Ducis.


Sed quid opus terras nosmet peragrarè remotas,  
Quando exempla adsunt sat numerosa domi?  
Quid Gallos alacres gravibus disjungit Iberis?  
Rupum compages quæ petit astra brevis.  
Eque viris qui cis montes ultravè creantur,  
Pars cessat, pars est nescia stare loco.  
E mappis, gaudes quibus ipse, Richarde, Genevam  
A Româ positam non procul esse vides.  
Si modo Papa bonus Romanâ hærebit in arce,  
Christicolæ haud dubium jam caput orbis erit.  
Arcem hinc Romanam, bone Papa, relinquere noli;  
Nec mens occiduas optet adire plagas.  
Tybridis a ripâ namque undas usque Lemannas  
Si semel infausto progrediare pede;  
Non eris ex illo senilis tempore Mystra,  
Sed Lupa jam juvenis, splendida, picta genas:  
Sexus amissus erit: tenues urbs ibit in auras,  
Iam fiet Babylon, quæ modo Roma fuit.

Quod

Quod tanta a paucis veniat mutatio leucis,  
 Mirandum indoctis hoc solet esse viris.  
 Hoc tamen a nobis quorsum adducatur, Amice,  
 Cum saxa Helvetii qua sua quique colunt,  
 Philosophos omnes verum hoc agnoscere constat,  
 Demonstrare etiam quod tibi quisque potest,  
 Possè aliquem Hæreticum fieri, fideivè probatæ,  
 Stabit ut huic fluvium Transvè citravè domus.

Vultu hîc composito risit, dixitque Richardus,  
 Ampla exempla affers & numerosa fatis.----

Ex capite hoc longo tum Vates percitus æstro,  
 Corda Poetarum quod furiare solet,  
 Dicere perrexit: Cælum ad brumale, Richarde,  
 Lumen nocturno tempore tolle tuum:  
 Sive dies fuerit, torque tibi lumen ad actam,  
 Albion amplexam, qua fremit unda maris:  
 Si numerare pòtes cælo quot sidera fulgent,  
 Vel quot particulas mobile littus habet;  
 Communes exinde locos percurrè, quot hausi  
 Authorum e scriptis non sine laude suâ;  
 Et quot collegi numerare exempla memento,  
 Quo munita mihi sat benè scripta forent.  
 Seponenda mihi sunt hæc, dum postulat usus;  
 Otia quam fuerint quæ tamen ipse legas.  
 Nunc mihi temporibus tradam Systema futuris,  
 Quod nondum natis Muneris instar erit,  
 Quod quoque censorum poterit perferre furores,  
 Invidiam & mortem quodque domabit ovans.



## LIBER TERTIUS.



EMBRA hinc concussit sua semisopita  
 Richardus;  
 Nec voluit linguam jam cohibere suam:  
 Huicque haud absimilis sensus mox impulit  
 auras,

Dentum qui e septo duplice fecit iter.  
 Si modo dictum alicui videatur durius illud;  
 Tu, Pope, dic mundo quod mea culpa nihil.  
 Hoc nos more loqui senior monstravit Homerus:  
 Graecum est id, sensus si minus aptus erit.

Ut quis sunt cordi mendacia vana, Richardus  
 Inquit, primo aiunt quae placitura putant;  
 Quodque semel dixere, hoc demonstrare laborant;  
 Figmentum nec amant deseruisse suum:  
 Dum sua se tandem paulatim insomnia fallunt;  
 Saepius acquirunt quae repetita fidem:  
 Vel quo more iterum juvenes lasciva caterva,  
 Quos Matrum Famulas sollicitare juvat,  
 Et si aliud primo voluit nil saeva cupido,  
 Ignis praesentis quam superare faces:  
 Attamen objectum flammæ si forte vigeret,  
 Lucinâ auxilium non renuente suum;



Inclusum sportâ Vicini ad limina tecti  
 Permittunt Puerum rariùs ore queri:  
 At se naturæ in speculo fallace videntes,  
 Dum nuper nati membra minuta notant;  
 Curâ ipsi studioque illud jam tollere pergunt,  
 Nil præter lusum cuius origo fuit.

Sic agitur tecum (ni mens me fallit) amice,  
 Merces Philosophas qui perhibere soles,  
 Metiri formas, atomos quoque scindere gaudes;  
 Privatæ ut menti gratificare tuæ:  
 Fortuiti ingenii generent dum semina læta  
 Progeniem miram, quæ nec opina placet:  
 Exultansque ideo systema quòd auctius exit,  
 Ultra propositum quod fuit ante tibi,  
 Hinc fortunatum sequeris Phantasma cerebri;  
 Dum tandem verum creditur esse tibi:  
 Ipse, tuâ delusivâ illaqueatus ab arte,  
 Afferis hæc, tibi quæ ficta fuere priùs.

Cui sic respondet Matthæus: Amice, per Artem  
 Quantum aut Naturam lumina nostra vident;  
 Dictum illud verum liquidò discernere possum,  
 Alter quòd doceat, discat & alter item.  
 Stultus Pythagoras non unquam creditus ulli est:  
 Dum sibi doctrinas tradidit ipse graves;  
 Fecit ut adstarent arrectis auribus omnes  
 Discipuli, pressit queis sua labra manus:  
 Absque hóc fortè aliquis periniquæ mentis Ephebus,  
 Veri, haud Doctrinæ qui studiosus erat,

Aera Sphærarum modulis mulcentibus aures  
 Per sibi purgatas mox renuisset iter;  
 Vel transmigrantes scenas quascunque negasset,  
 Vel potuit mensis restituisset fabas.  
 Lucreti Vacuum magni si dempseris illud;  
 Totus terrarum perditus orbis erit.  
 Materies quoque Descarti si fortè negetur  
 Subtilis; pereunt ignis & unda simul.  
 Quàm tetricum indueret vultum Newtonius ingens,  
 Si responsurus, quem dedit ipse, Libro,  
 Dicas in primâ sermonis fronte remissi,  
 Vis impellentis rebus adesse nihil?  
 Quomodo jam focii procedant Chymica turba,  
 Philosophum Lapidem quî reperire queant;  
 Si potiora tibi mox argumenta ferantur,  
 Quæ vacui hunc capitis somnia vana probent?  
  
 Qui Disciplinis præfunt atque Artibus, Almæ  
 Mirificè hæc partes temnere turba solet.  
 Torpore inveniunt hanc vel vertigine captam;  
 Hæret utrum plenæ res vacuævè fient:  
 Et quis haberetur dignus qui singula dicat,  
 Quæ tactu aut visu sentiat ipsa frequens?  
 Hæret utrum e binis geminatis quatuor adsunt;  
 Quamlibet hæc deciès sint numerata sibi.  
 Non licet hoc fieri----fieri licet----esse necesse est:  
 Alma horum cui sit dic habitura fidem?  
 Hæc eadem interdum procedere longius illam  
 Cogunt, dum dubitat num dubitare queat.  
 Talia num potis est rectè componere Elenchus?  
 Non : subitò hîc Major bella Minorque gerunt:

Aut, si fortè horum mox concordaret uterque,  
 Quod sequitur falso elaudica t ecce ! pede,  
 Auguris inde domum gressu petit illa volucris,  
 Quem rogat, ut dicat quæ sibi nôsse datur.  
 Vultum hic componens patientem accommodat aurem;  
 Eque notis brevibus singula deinde refert,  
 Quæ priùs ipse silens didicit narrantis ab ore:  
 Diffidium sapiens exitus unde manet.

Narratu ex illo, quem res qui perdidit affert,  
 Has qui furripuit scit reperire Magus.

Armiger (inde refert rupto sermone Richardus)  
 Dic quando his vaftris congregere viris ?

Cui Matthæus ait, Facundæ vis tua linguæ  
 Sermonem haud dirimat, Chare Richarde, meum.  
 Hâc edico tibi quod conditione sit Alma,  
 Quærens quid sapiens ille vel ille monet,  
 Verbis qui mentem reteggit, quæ agnoscere cuique est;  
 Non elementa tamen jungere quisque potest.  
 Ipse doces Medicum, morbo tibi membra teneri:  
 Quid facit is ? Chartæ signa dat inde celer,  
 Te nihil omnino quorum callere necesse est?  
 Pejus quô scriptum est, hâc medicina prior.  
 Nam modo forbentur tibi quæ medicamina scites;  
 Ut tu convaleas, perditus ille foret.

Formas atque Ideas, intellectusque catervas  
 Tres sibi discordes suppeditâsse ferunt.

Quod

Quod solet accidere huic, nec non Substantia totam  
Europam in partes diftrahit ecce! duas.

Nunc ut, ceu certes armis ceu lege, necesse est

Quæ tibi subveniat quod sit amica cohors:

Sic in Philosophis rebus quoque semper oportet

Judicium reliquis assimulare tuum.

Namque Scholis mos est, qualis solet esse Senatûs,

Plures ut voces perficienda regant.

Anxia per montes per valles Alma vagatur,

Cervæ more vagæ quam loca sola tenent:

Corde genuque tremens, & festinanter anhela

Omne fugit folium quod movet aura levis;

Ut verò armento se immiscuit haud procul inde,

Despicit id, foli quod modo terror erat,

Non jam mentis inops, nec ut ante oppressa timore est,

Antegredi si audent, audet & illa sequi :

Utque horum adjiciunt animos exempla sequenti;

Hic fluvium tentat, transilit inde fudes.

Hæc ex lege tuâ, dixit cui deinde Richardus,

Is, sentire audet qui sibi, stultus erit.

Ut Partis Fautor, linquit quicumque sodales,

Nil nisi vecordis Nomen habere solet.

Nunc, quod pace tuâ fiat, Matthæe Magister,

Radulphi exemplo, hic suspicor esse dolum.

Hoc agis, ut sectæ vestræ me adscribere possis;

Quæ, licet haud doceat, me tueatur ope.

Recta, Richarde, inquis, Matthæus dixit ovator;

Exue te hinc fastu, & suspicione simul.

Dumque,

Dumque, Elementa mihi quod des mea commodus, oro;  
 Responsum faciat tibia sola tuum.

Crede mihi quicquid sincerâ voce monebo:

Esse velis primò tutus, & inde sagax.

Currum intra quicumque sedens defertur, ibique

Venali alterius nititur artis ope,

Tutior est multo (quodcumque occurrerit axi)

Caldior atque illo, qui moderatur equis.

Tyro Richarde, igitur retro tibi mitte capillos;

Infundamque tuis auribus ipse notas,

Quales haud ulli divulgavere priorum

Claudâ vel profâ Pieriisvè modis.

Chare Richarde, adhibe mentem; nil ipse remitte:

Et me jam fies non minus indè catus.

Cum nunc, diversos ætatis vecta per annos,

Ascendendi omnes finiit Alma gradus;

Iam subit illa caput, residens ubi splendida pompâ

Judicat, & damnat resque virosque simul.

Atque hîc de Cerebri Labyrinthis, Chare Richarde,

Dicere diversis quam tibi multa queam?

Dumque his de Cerebro narro simul & Cerebello.

Quomodo Lectores exanimare meos?

Commentatoris vel quî tibi munere fungi

De durâ edicens Matre piâque simul?

Frigidum ubi & calidum, madidum siccumque vicissim

Certant alterius quæque subire locum;

Quem rixâ affiduâ, magno simul atque labore

Possideant; spes dum sibi vita foret.

Demonstrare



Demonstrare etiam possim tibi quosque meatus,  
 Condita queis servat mens sua cuncta memor ;  
 Quamque hinc iudicium, atque illinc Phantasia claudit,  
 Ad digitum statio est hæc quoque nota mihi.

Doctrinæ hîc multum possem depromere, Amice,  
 Saltem his queis naris non peracuta foret.

Mille decem Cerebrum perhibent comprehendere Cellas:  
 Quas Phantasma omnes mobile semper habet;  
 Incumbens operi proprio quod fingere gaudet  
 Stultitias, dixi quas priùs ipse leves.

Sicut in alvêari lento de vimine texto  
 Certa tuentur apes limina mille decem ;  
 E queis assiduum variat sibi quæque laborem,  
 It, redit, adducit, portat onusvè suum:  
 Singula non magnum renovat sine fine laborem;  
 Vicinam trudit nec tamen ulla suam:

Singula---Dum promptus Thesin hanc defendere conor,  
 Censeo me Cerebrum nôsse, Richarde, tuum.  
 O utinam ingentis Thematis perculsus amore,  
 Diffectum videam jam Caput ipse tibi!

Mî Caput ut faveas nugis ? cui deinde Richardus :  
 Membrum aufer, missò hoc, quod tibi cunque placet  
 Rebus in egregiis Systematis, o bone, Docti  
 Proponunt, Stulti subsidiumque ferunt.

Cui Matthæus ait : teneas Caput ipse, Richarde,  
 Et, modo tu fileas, longiùs ire volo.

Longiùs ire ? Richardus ait: mihi constat, Amice,  
 Sermonis metam te superâsse tui.

Quando

Quando homines errant de limite, lineæ quæque  
 Quam adjiciunt multo longior esse solet:  
 Qui cursum accelerans errat simul, hic pede tantum  
 Tramite de recto longius urget iter.  
 Dii faveant nugis! tibi nos accredere par est,  
 Concipias animo qualiacunque tuo;  
 Propter amicitiamque tuam, me vivere oportet  
 Inter Philosophos Papicolamque mori?  
 Hoc edico tibi, quicquid contendere possis  
 Almæ quod sedes Cor, Cerebrumve foret;  
 Vel pingui ingenio quemvis te posse monere,  
 Imperii huic venter quod solet esse locus:  
 Unde hæc assidue sua supplementa remittit,  
 Quæ nos vel doctos magnanimosvè creat:  
 A fulturâ omnis membri vis pendet alius  
 Quæ Ventri accedens, ne ruat ille, facit:  
 Languores nec non infani sanguinis æstus  
 Assurgunt escæ pro ratione tuæ:  
 Atque animi sensum tibi si proferre libido est;  
 Ut pascare opus est, & docere simul.  
 Corporeæ molis Stomachus tibi flectit habenas;  
 Inclinat pondus non secus atque Globum.  
 Corporis ut vires proferret Magnus Achilles,  
 Mænia queis Trojæ dejicienda forent:  
 Quoque Leoninam prandebat sole Medullam,  
 Panis Castrorum quâ gravis unctus erat:  
 Ut verò ad Thracas Materna hunc Cura removit,  
 Inter virgineas lusit ibique choros,  
 Evasit mollis, sedique immobilis hæsit:  
 Oogali victus fructus & ille fuit.

Nunc

Nunc te argumentò totas concedere vires,  
 Ordineque inverfo rem reputare velim:  
 Inter Germanas juvenis qui luce bis unâ  
 Mixta bibit calidæ munera lactis aquæ,  
 Quique ex jentaçlo mediam partem usque diei  
 Inspicit authores, ordine quosque suo;  
 Missis queis, postquam melior pars acta diei est,  
 Cognatum, aut Patruum visere currit amans:  
 Demum e Cauponâ rediens, vel forte Theatro,  
 Horâ jam decimâ terminat inde diem.  
 Attamen huic dederis fucci si vina potentis;  
 Qui modo molliculus, jam furiosus adest:  
 Horas felices nullas numerare fatetur;  
 Per plateas noctu turbidus unde ruit:  
 Diminuitque caput Vigili, ceu forte fenestras  
 Lecticæ aut tecti, quas manus ære petit:  
 Donec stratus humi dextræ gravioris ab ictu,  
 Corruit, & rectâ ducitur inde domum;  
 Hîc puerum diris, famulam pugnoque laceffit,  
 Atque decens lectum mox titubanter adit.

Potûs atque Cibi varii nunc ipse videto  
 Effectus variis qui solet esse viris.  
 Num Scythia crudelis truculentusvè extitit unquam,  
 Sorbitione haustâ, quam dat avena, levi?  
 Quis tamen huic rabiem poteritvè repellere vires;  
 Quo priùs invehitur, si modo pascat Equo?  
 Herbæ junctæ Ovis, alimenta que quæ leviora  
 Efficiunt Italo dulce sonare fidem.  
 Et, modò Congrevum capiam; cum Carne Bovinâ  
 Fartum Anglos hilares bella subire parant.

Inter Germanos pariter Mahometigenasque

Hæc eadem Baccæ Vinaque flava movent:  
 Qui eludunt, vitant, cedunt, languentque vicissim  
 Ambo, prout victûs cæpit adesse parùm.

Crede mihi, Sitis atque Fames, Tormenta vel enfes  
 Dant eadem variis funera quæque fonis.

Utque argumentum mittam, vocat hunc Homicidam  
 Lex, vita alterius cui fit adempta fame.

Momenta, Automati prout in compage minutâ,  
 Artis ut occurrant plura videnda tibi;

Quæ Momenta ex his operi super-addita monstrant  
 Cursum anni, aut Lunæ cornua quanta micant,  
 Ex illo vires sibi ducunt quæque secundas,

Quod simplex monstrat quæ notet hora diem.  
 Nugamenta etenim quamvis hæc dempta fuissent  
 (Non juret Quarus; dicat at ille tamen)

Simplicius licet Automatum & jam curtius esset,  
 Quod tamen Automatum non minùs inde foret:

Sin verò Automati horalis semel orbita cesset;  
 Siftit opus, partes solvitur invè suas;

Quod simul acciderit, jam desinet esse quod ante;

Hocque tibi reliquum vendere tegmen habes:

Automati sic tu modò gressus absque favore

Percurras, nomen vult quod habere Viri;

Vel centena tibi possunt momenta notari,

Vastræ artes Capitis quæ peperere priùs:

Attamen est Stomachus solido qui submonet ictu

Ens hujus, transit quo sibi more dies.

Cui modò Rhetorices sufflamen dempseris illud;  
 Dicta Modus nullus, nulla Figura manet:  
 Sive Mathematicum Sufflamine strinxeris orbem;  
 Tecta ruunt illi; nec Ratis inde movet.  
 Pondera vel tandem huic effringe Politica; clavum  
 Imperii non jam flectit ut ante loquax.  
 Automato nugas tamen has si demere mavis;  
 Quamvis jam simplex, pergat in orbe suo:  
 Machina sin usum perdat, quæ conconquit escam;  
 Res nequaquam eadem, quæ fuit ante, manet.  
 Conditioni Almæ potis est vis nulla mederi;  
 Hei mihi! Ludibrio jam sua finis adest;  
 Omnis mundana hæc confestim Turba quiescit,  
 Ruffellumque jubes condere corpus humo.

Nunc fac Alma tibi veniat redeatvè vicissim  
 A Crure ad Palmam, Temporibusvè pedes;  
 Quæ modò subjeci si Supplementa releges,  
 Systema in miserâ conditione foret.  
 Gesticulator Equum mirâ sic laude ferebat,  
 Ille viæ, bello, cursibus aptus erat;  
 Os cui molle fuit; flagrans cui Luminis orbis:  
 Et pede cui nunquam certior ullus erat:  
 Illi menda tamen non excusanda manebat;  
 Quam narras mendam? Mortuus ille fuit.

Exemplis ex his verbisque, Richarde, dolosis,  
 Quæ mihi de Mannis, Automatisque facis,  
 Hoc, Matthæus ait, mihi persuadere laboras,  
 Machina quod tantum est præter & Alma nihil.



Quæ quota fit reliquis edicens hora diei,  
 Interea ignorat quot dedit ipsa sonos ;  
 Sed cuique adstanti signa enumeranda relinquit,  
 Automati facies qualia picta gerit.

Hic tibi verba inhibe subjecit, Amice, Richardus,  
 Attollens vocem fervidiore sono:  
 Æquemus pugnas: quæ nunquam dicere nobis  
 Mens fuit, haudquaquam hæc infinuata velim.  
 Est Emblema Argumento, quod Carmen Amori:  
 Plurima describit; non tamen ulla probat.

Matthæus, cui vox dubitanti faucibus hæsit;  
 Elato rixam nare citurus erat:  
 Mercurii auxilium sed postquam in vota vocasset,  
 Iratè ridens talia dicta dedit:

Qua tibi mente teneto (Authoris fervit honori)  
 Vocem Matthæi non renuisse Deum.  
 Ancipiti Heroes, dubiâque in sorte Poetæ,  
 Quæ sibi succurrant, numina semper habent.

Hoc tandem agnosco, (ni fallor) Amice Richarde,  
 Gratia quod tecum vix erit ulla mihi.  
 Aspicias utinam quam moribus utere pravis:  
 Quo plus concedo, plus sine fine petis.  
 Sed foret hoc nostrum, dixi quod nuper, Amice,  
 Affirmare; tuum quæque probare simul.  
 Nos quibus ingenii Systemata fingere vis est,  
 Tutemur, nudam quam fateare, Thefin;

Vosque

Vosque notis Scholiisque dein vexare valemus;

Si res naturâ simpliciore foret.

Sin tenebris obducta foret, tunc bella movemus

Quo in Clarkum Leibnits intulit arma modo;

Et causam quoties nullam monstrare licebit,

Quare hâc aut illâc res sibi tendit iter,

Perbreviore viâ litem hanc discernimus omnem,

Quodque ignoramus, dicimus esse nihil:

Immodici factûs nostri sine fine tenaces,

Dum genus humanum fallimus omne dolo.

Philosophus quondam factus fuit ille morosus,

Naturam motûs qui reperire nequît :

Qui, quoniam invitum plantæ hunc auferre solebant,

Sese juraret non variâsse locum,

Vel sibi qui assumens cordis describere partes

(Cumque aptè nullus fictus ab arte sonus

Ardoremvè hujus, pulsumvè exponere posset)

Hoc sibi juravit subfiluisse nihil.

Chrysippus, doctis Epicuri victus ab armis,

Hoc nos (Dii faveant!) submonuisse velit,

Quod quæcunque animus noster complectere possit,

Sint vera, atque uno tempore falsa simul.

Malbranchique etiam mira est sententia, qualem

Credibile est aliud vix subiisse caput :

Cujus verba hæc sunt, Tam parva est portio, quam mens

Materiæ aut animæ nostra notare potest,

Ut conjecturâ liceat deducere saltem

Quiddam, horum neutrum quod sit, & ambo simul.

Hoc

Hoc equidem verum tibi, Chare Richarde, fatebor,  
 (Inter nos solos quod memorare volo)

Naturæ abstrusæ permulta occurrere, pauci

Quæ expediant, quamvis tangere quisque potest.  
 Causam ob privatam, tanquam Natura dolosè  
 Adversa ingenii viribus ire velit.

Reddere quadratos Orbes, geminareque Cubos,  
 Sudoris nimii res, mihi crede, foret.

Longa etiam nondum certa est mensura locorum,  
 Whistonus quanquam plurimus ære tonet.

Dic mihi quod causam docuit Systema, Richarde,  
 Rectè hanc, cur barbam fœmina nulla gerit;

Curvè, prout Tempus demit de corpore vires,  
 Nigrior hinc Dens fit, candidiorque Coma?

Rebus in his, nosmet Tonforem agnoscere par est  
 Æquâ cum nobis cognitione frui.

Sed tamen, ut causam non sit deducere, nostrum est  
 Rimari hæc eadem quâ ratione licet;

Curâ majori Systemata nostra novare,  
 Et vera haud, veris juncta probare tamen.

Bella inter, prout ipse vides, subtilia linguæ

Ora tibi Logices vi cohibere queam;  
 Nunc vitare ictus, nunc contra inferre peritus

A Darii metis usque Bocardo volem,  
 Nec tibi succumbens, finemvè imponere curans  
 Sermoni, pejus quo nihil esse potest.

Sed tamen ut tute hîc & nunc edificere possis,  
 Candori debes qualiacunque meo:

Ut

Ut tibi demonstrem malim quod nomen Amici,  
 Disceptatoris munia missa volo:  
 Mentis adoptanda est mihi jam sententia vestræ----  
 (Turba hoc Philosophi plurima fecit idem)

Justius hæc nostrum reddit Systema : Richarde,  
 Num licet huic fato nobiliore frui?  
 Chare, Richardus aït, Quodcunque videtur adopta;  
 Dummodo sit dictis jam data meta tuis.

Cui sic Matthæus, Scio quod reprehensio vana est:  
 Qui prior offendit, vult prior ille queri.  
 Ipse mihi suades telluri adnare carinâ ;  
 Detrudis remo me tamen inde tuo.  
 Quod tibi jam toties dixi sermone soluto,  
 Hoc monitum numeris te semel esse velim :  
 Immodicæ Urbanâ quidam vir molis in Æde,  
 Sive foro, (refert hoc, mihi crede, nihil)  
 Sudans in turbâ & trudens sibi quemque propinquum  
 Magnâ hos perrexit voce ciere sonos ;  
 Dii faveant ! Quorsum his trudendi tanta libido est!  
 Ærumnam ut vidit qui fuit alter ibi,  
 Immodicum hunc dictis sic castigavit amicis ;  
 Detrahe te turbæ huic quàm potes ipse celer:  
 Tollere vel vocem, vel trudere desine, quæso:  
 Quam culpas, turbam hanc tu, mihi crede, facis.

Morali haud opus est me respondere Richardus,  
 Sermonem quo vis sic tibi profer, aït.  
 Non fatis apta licet, fuit hæc tua Fabula curta:  
 Saltèm hujus grates, quas merearis, habe.

Matthæus

Matthæus grates agnovit & inde, Magistri  
Voce sibi assumptâ, talia dicta dedit.

Iam sedem Alma Caput certam sibi poscit habere :  
Cantatum, aut dictum quod fuit ante mihi :  
Hic adèò vitæ Exodium hoc primordia sumit,  
Ultio, Lis intrant, Ambitioque simul :  
Aspice Mortales sese hinc illincque moventes,  
Laurigeri Choream qui renovare parant.  
Dimidio censûs licet haud utatur Avarus,  
Non sibi majorem mussat adesse miser ;  
Præsentisque Cadi cessat terebrare latebras,  
Autumnus veniens ne sua vina neget :  
Interiûsque dolens hodiernâ vescitur escâ,  
Ne Cras apportet, quam timet ipse, famem.  
Si Tunica exterior, quâ circumcingeris, arcet  
Cæli intemperiem dum spatia foras ;  
Num majore tibi foveantur membra calore,  
Si Textrina domi, Fabrica sive foret ?  
Et si ocreæ binæ ventos pluviamque repellunt,  
Cur tibi jam malles tergora bina geri ?  
Num censes, citharæ percurrens pectine chordas  
Quod Pedro haud potuit dulce ciere melos,  
Totum Intestinum sibi ni contingat habere,  
Ex quo chorda priûs quæque recisa fuit ?

Rarus Picturam quoties tibi monstrat Amico ;  
Emisso gemitu, nominat usque locum,  
Qua binæ ejusdem laceræ periêre tabellæ,  
Vestri quo neuter tempore natus erat.

Vento



Vento miser mentis tantâ anxietate laborat,  
 Pagina Petroni quod sibi manca venit;  
 Ut nunquam posset tantum impertire laborem,  
 Quanto hæc quæ remanent percipienda forent.

Quantum sudoris Curio impendebat honestus?  
 Omnia perquirens quam studiosus erat,  
 Ut quod adhuc deêrat deprenderet ipse Numisma,  
 Quo Romana sibi turba repleta foret?  
 Invenit hoc tandem : subeunt quæ gaudia mentem!  
 Comparat, occludit, curat & inde nihil:  
 Horum post illud tempus fit mentio nulla :  
 Incipit ex illo Græca parare sibi.  
 Ordine quæ digesta suo & monstrata vicissim,  
 Tanquam inclusa urnis, nox tenebrosa premet.  
 Quod verè antiqui Lychnos ex ære paravi,  
 Me illorum pretii pænuitque nihil;  
 Idem etiam sapiens Argentea Vasa resolvi,  
 Quæque Neotericis mox renovanda modis:  
 Ex æquoque genus nugarum prosequor omne;  
 Gaudia ceu veteres dent mihi, sive novæ.

Milvum te vidi studio formare, Richarde,  
 Georgio ex charta, quem levis aura ferat.  
 Odæ etiam plures tibi stultæ ostendere possunt,  
 Ambio servili quâ ratione Chloen.  
 Fecit Amatores stultos pariterque Parentes  
 Natura-----hæc narras lauta Richardus ait :  
 Vera hæc, digna etiam quæ condas mente : Richardi  
 Non tamen in facie cernitur ulla fides.

Sermoni nunc, Alma, mero Verbique Ministris  
 Ærumnas, Fraudes, Crimina mitto tua:  
 Nec de nequitiâ nocte hæc mihi dicere mens est,  
 Sed de stultitiis, Bellua vana, tuis.  
 Verba tibi incertæ faciam de flexibus alæ,  
 Spicula nequitiæ prætereunda mihi:  
 Quod prudens & magna simul vis ipsa videri,  
 Hujus quò temnam mentio facta mihi est.  
 Iratè contemptimque oculis ea cernere fuesco,  
 Gaudia ceu ærumnam quantulacunque ferant:  
 Hæc Flos, vel Radix; Pictura, vel æra Corinthi;  
 Concharum omne genus, Papiliove creet.  
 Fabula vel mendax, Rythmus, Numerivè canori  
 Tempora te interdum fallere pigra juvant,  
 Absque his auxiliis tibi quæ malè grata manerent;  
 Et quæ lapsa semel non remeare sciunt.  
 Pictæ tractantur Chartæ, pictæque Tabellæ,  
 Ignavum Sensus quò recreare potes.  
 Commentum Ingenii quo non felicius ullum!  
 Sese oblivisci possit ut Alma frequens.

Extamus tales; agimusque hoc more, Richarde,  
 Erigit hinc nos Spes, Cura vel inde premit.  
 Hic Vir mærore affiduo sibi quærit habere,  
 Quo deprensò uti non tamen ipse queat:  
 Et Spectare illud Stultus desiderat alter,  
 Quod fuit haud ullo tempore, quod nec erit.

Erramusque usu, normisque vagamur iniquis,  
 Amentes factis, moribus usque graves:

Fictum

Fiſtum Sermonem jungentes Ambitioni  
 Crimina, quæ cupimus condere, dupla damus.  
 Vel fiat, rerum quod poſt ſex luſtra peritos  
 Nobis attonitis nos reperire datur;  
 Vigintique ſimul lepidæ res comperiuntur,  
 Quarum finiri non tamen una poteſt;  
 Dum monet ut Systema meum, ſpatia illa ſuperna  
 Mens, veluti in viſo carcere clauſa, tenet:  
 Cujus, Amice, tibi ſi quælibet ipſe referrem,  
 Adſcitum ſenſum Dictaque vana ſimul;  
 Verbis complecti tentem ſi facta nefanda;  
 Longius inde mihi, crede, Poema foret.  
 Nam licet aut, Montaigne, tui, vel Socratis inſtar  
 Scripturæ tuear jam monumenta meæ;  
 Dic mihi dignetur quis nunc evolvere Libros,  
 Ni Stiles, vel Nokus Nomina vana legant?

Brentfordi ut Reges ſapientes atque periti,  
 Senſum poſt longum Conſiliumque grave,  
 Lardellæ loculum limis introſpicientes,  
 Flendum viderunt ridiculumve nihil;  
 Sic quoque, quæ nec jam luctum nec gaudia ſentit,  
 Poſtremò requiem comperit Alma ſibi:  
 Excelfæ Sedis, Pompæ pertæſa ſuperbæ,  
 Regali in cathedrâ ſemiſopita ſedens;  
 Attonita, & longo ſermone evicta vel Annæ  
 De Dictis, Factis vel, Gulielme, tuis;  
 Exiguum, Infelix, tandem deprendit hiatum  
 Quem Natura labans tempore victa paret.  
 Radit iter per quem fatale; petitque ſuperna  
 Remigio alarum; corruiſt hincque lutum:

Cujusdam incolumis studium dum præbet Amici  
Hic jacet, & centum falsa legenda simul.

Momentosa Dies dum venerit illa, Richarde,  
Nostras quæ solvat spesque metusque simul,  
Si Fortuna sibi præsentem leniat iram,  
Et daret ætati cuilibet apta suæ:  
Blanda sibi Clotho palmas modò lacte lavaret,  
Immistoque Auro, serica fila trahat:  
Pace, & Amicitia, nobis Rebusque secundis  
Ad viginti annos proferat illa quater:  
Sique huc provecti debellârimus Amorem,  
Fastum etiam, quo nil tetrius esse solet;  
(Aut animi affectus isti duo forte feroces  
Illudant miris nos sine fine modis:)  
Nobis tum vacuis liceat residere, Richarde,  
Quà Fragor, & Strepitus, Turba nec Urbis adest:  
Villâ Egomet gaudens, Tabulæ, Nummique, Librique  
Cui compôsta adstent ordine quæque suo:  
Aut nos multa inter sermone seramus amico,  
Quà pedibus nostris area grata patet;  
Cujus nigrantes umbras terræ ipse dedisti,  
Voti, ut opinemur, compos uterque fui:  
Si tamen hic furgat speculatio prava vel una,  
Tum virgulta tibi, tum mihi lecta ruat:  
Morte prior Natus, Nati sobolesque quiescat;  
Ingratum Hæredem detque vel ipsa dies;  
Qui poterit nullo magis innotescere factò,  
Quam tibi quòd pessum quæque peracta dabit.

Quis

Quis feruit virgas, animo memor iste reponet,  
 Lignorum pretium qui numerare studet?  
 De Sylvisque tuis reliqui quid denique fiet,  
 Iactum præterquam quæ dedit Orca malè.

Nonne etiam Tempus vel Mors mihi detrahat omnes  
 Cognatos, animi gaudia tanta mei?  
 Affinisque meus Thomas, hujusve Maria  
 (Quæ lac despumat, qui vel aratra tenet)  
 Smarti aut Doilejo Tabulas lectosque Libellos  
 Ulnæ ad mensuram vendere pergat ovans?  
 Adjiciat formam breviorē mente benignâ,  
 Majori merces dum sua cuique datur?  
 Ut mea Malleolum dilecta Volumina tangunt,  
 Artis Grammaticæ qui didicere nihil,  
 Compactos nitidè Libros præstare reantur.  
 Justitiâ doctâ quodque Numisma vetus  
 Æraturum in trutinâ jaceat: tremulamque Bilancem  
 Parvulus invergat vultus Othonis humo;  
 Cujus si propiùs spectes (mihi crede) metallum,  
 Ollam hinc rimosam farciat ære Faber.

Sensibus his lassus----Lassus cui deinde Richardus  
 Ipse ego doctrinâ non magis atque tuâ----  
 Vivere Mortales, lucemque relinquere vitæ,  
 Hoc dudum agnovi, te referente nihil.  
 Et Fatum nobis ceu in longum proferat annos,  
 Forfice ceu raptâ stamjna nostra secet;

Hoc



Hoc scio, Fortuna est subeunda quod utraque nobis,  
 Quos mala ferre decet, sicca vel uda sient.  
 Sive tamen nobis faveat Dea, sive minetur ;  
 Vesci pane albo, furfureovè licet:  
 Et casa ceu nosmet teneat, ceu Regia sedes,  
 Massica potemus, Vina vel atra Tagi.  
 Libris quorsum opus est hæc dicere, qualia nôrunt,  
 Primula Doctrinæ quos Elementa latent ?  
 Conspeciloque uti par est nos, ut tueamur  
 Visum oculi nudum quæ violare solent ?

Hoc tibi Propositum fuerit modo mentis, Amice,  
 Ut mihi gaudenti gaudia plura feras,  
 Nocte hæc obsequium tibi sum præstare paratus---  
 Eja age, consilium suscipe, quæso, placens :  
 Quod si animi Sensum mihi vis demittere iniquus ;  
 Haud Systema mihi jam valet asse tuum.

Cur me sollicitum reddant figmenta Platonis ?  
 Spero te minimè me voluisse mori,  
 Quomodo scenam docet stultum periisse Catonem,  
 Cujusvis causam quod memorare queat ?  
 De folis Ideis infidis differat ille,  
 Quam natale solum Græcia voce dedit.  
 Si sapere hoc solum est, mæstos assumere vultus ;  
 Sunt despecta animo talia cuncta meo,  
 Quale Reusvè Anyti dixit, Cicerovè notavit,  
 Lectum, Wanleï, vel tibi quale fuit.

Drifti,